



175

10

2. 1

3.

Y.

6.

6.

7.

89

8

8

In nomine SS. Trinitatis!  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA

De

8/456.

1651, 8 a

DAMNO CONTRA  
L. A Q V I L I A M  
D A T O:

*Quam*

NOBILISSIMI ATQUE AMPLIS-  
SIMI IN CELEBERRIMA ARGENTI-  
nensium Universitate  
JURECONSULTORUM ORDINIS  
DECRETO,

*Pro summis in utroque Jure honoribus & pri-  
vilegiis Doctoralibus rite legitimeq;  
consequendis,*

Solenniter examinandam proponit

GEORGIUS HENRICUS PANCUG,  
Wimpinensis.


*Ad diem Januarij*

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI,  
Et JOSIAE STÄDELII,

---

Anno M. DC. LI.



V I R I S  
NOBILISSIMIS, AMPLITUDI-  
NE, REVERENDA DIGNITATE, CONSLIIS  
atque Prudentia eminentissimis

- Dn. AUGUSTO FRIDERICO Heuchelin/ J. U.  
L. Reipubl. Heilbronnensis Syndico gravissimo.  
Dn. JOHAN. GEORGIO Heuchelin/ Pastori apud  
Posonienses vigilantissimo.  
Dn. PHILIPPO DAVIDI Heuchelin/ Generosissimi  
Baronis ab Herberstein Secretario meritissimo.  
Dn. CASPARO Heuchelin/ J. U. L. Liberae Regiaeque  
Posoniensis civitatis Syndico dignissimo  
Dnn. Ayunculis atque Cognatis submissæ devotionis & filialis  
observantia cultu etatem venerandis

S. P. P.



Nsignia vestra in memerita, Ob-  
servandissimi Viri, presente pagellâ præcone  
in vulgi conspectum produco; vereor quidem,  
ne vobis invitîs. Quos enim solius virtutis  
amore promptissima suæ liberalitatis exerci-  
tia hactenus continuasse perspexi, eos non sine fastidio in vul-  
gus diffusa elogiorum suæ virtuti debitorum blandimenta au-  
ribus percepturos, jure præsumo.

Veruntamen, ne forte prolixior ampliorum ad redhosti-  
menta tantis beneficiis congruentia requisitarum virium ex-  
pectatio oblivionem argueret, malui verecundas vestras au-  
res,

res, publico omnium suffragio, gratis onerare laudibus, quam  
memet ipsum indignis detestandæ ingratitudinis suspicioni-  
bus involvere. Quamobrem, sicut pleniorum studiorum  
maturitatem publicè probatam daturus, Justiniane pro-  
pugnando revereor: Ita gratum ostensurus animum ea  
Justiniani verba, quæ inserta sunt constitutioni legis 7. ibi:  
Quis enim talis affectus extraneus inveniatur, ut vin-  
cat paternum. Cod. de curat. furios. vel prodig. tanquam lau-  
dibus vestris inimica, impræsentiarum audacter repudio.  
Nec sanè injurià; siquidem satis absurdum foret, si prom-  
ptius assentirer ei, quem ars æqui bonique commendat,  
quam ipsis jurium præceptis, attributionem ejus, quod uni-  
cuique debetur, ex naturæ legis dictamine flagitantibus.  
Ast, quid. Mecanates Optimi, æquiore Vobis debetur ju-  
re, quam laus piissimè superati affectus paterni? quippe,  
qui cumulatissima beneficia tantâ in me contulisti prompti-  
tudine, ut meritò hæc tenus dubitarim, an non supremi  
numinis potius æmulemini bonitatem, quam genitoris. Et  
sanè, quis non paterni affectus Vos proclamabit Victores,  
qui noverit, adeò assiduam Vos mei gessisse curam, ut, be-  
neficiis ad abusum usque in me collatis, optimi parentis obi-  
tum (quem adhucdum pueriles lugebant oculi) non tam  
senserim, quam sciverim: imò, qui cogitaverit, extra-  
neorum merita tanto sublimiore, quam paterna, loco con-  
stituenda esse, quanto plus illa continent pietatis, minus  
debiti. Sed cesso elogia, beneficentiam Vestram depradi-  
cantia, latius diffundere, cum publicus famæ calculus jam  
dudum ea comprobārit. Neque alios, quos fortè non le-  
vior premit Vestrorum meritorum moles, præconiis potius,  
quam affectu, superare contendam. Quapropter, cum  
præsentem ingenii fætum, post exploratam ejusdem maturi-  
tatem, cum summis Doctoratus privilegiis atque honori-  
bus autoritate publicâ commutandum, Vestris hucusque  
nutri-

nutriverim subsiditis, prætermittere sine piaculo haud potui, quin eundem, spretis aliorum amplexibus, ad pedes Vestros submissè deponerem, hocque publicitùs oblato gratisimæ mentis thure, ad quemvis reverentia & obsequii cultum palam me obstringerem. Admittite ergo, incomparabiles Patroni, exile hoc immensi affectus specimen, meque è sinu vestro haud prius dimittite, quam à vobis metipsis dimiseritis hereditarium pietatis atque virtutis amorem.

D E U M immortalem ardenterissimis animi suspiriis supplex oro, ut beneficia Vestra, quibus demerendis longè imparem me esse profiteor, largissimā suā benedictione clementer compenset, vosq; publico cum primis bono natos, quam diutissimè superstites conservet Ecclesiae, Reipublicæ,

Vestro denique

deditissimo clienti

Georgio Henrico Pancug.



Ui data damna queant pelli medicamine justo,  
Qua queat illasum quisque tenere suum,  
Materiam pro summis sumis honoribus aptam.  
Juris pansophiam pannomiamq; capit.  
Id, Pancuge, tuæ mentis vis ampla parabat.  
Pellat damna Deus! det decora ampla Deus!

scr. amoris mnemosynou

Joh. Georg. Dorcheus D.

P R A E-

## PRÆLΟQVIUM.

Ostequam, Benevole Lector, impetratā à Nobilissimo atque Amplissimo inclytæ hujus Universitatis ICTorum ordine, pro adipiscendis in utroque jure summis honoribus, publicè disserendi licentiâ, de selectiore quodam themate pertractando mihi cogitandum esset, deprehendi, nō minum, quibus tot nobilissima juris capita in Scholis nostris inclaruere, tantam esse varietatem, tantamque eminentiam, ut, ex plosâ judicij curiosâ scrupulositate, eam juris partem interpretari satius sit, quam vel propensiō animi vota elegerint, vel fidelia venerandi Præceptoris consilia suggeserint. Quocirca, pristinæ mentis sententiæ satisfacturus, de utilissimâ Retractus conventionalis materiâ scribere constitui, imò & cœpi. Monitus autem, huic operi jam ante biennium, in dissertatione quâdam, scripta ad l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. compos. doctrinam fuisse admotam manum, tantò promptius calatum retraxi, quanto magis mihi verēdum erat, ne eâdem tusâ incude conanimis pertinaciam rideat, si non ipsa d. disputationis *angībeta*, saltem laborum similitudo. Quas itaque delicias, Benevole Lector, inopinata mihi hoc modo subtraxere fata, eas cum observanti suffragatione meâ, mentisque applausu, consilio suo restituit, Viri Nobilissimus atque Consultissimus Dn. D. Tabor, Patronus, Promotor & Præceptor meus, religiosè venerandus, qui in æstimatiissimæ racionationis suæ consortium me admittens, benevolè suasit, ut, dignum tantis honoribus specimen Tibi exhibitus, præsenti themate accurriatori doctrinâ exposito, alieni laboris defectum industriâ meâ supplerem. Et sanè his Tanti Viri monitis morem exactius gessissem, nisi cursum fervidâ cum diligentia cœptorum sufflaminassent, & vehemen-

A

tior

tior morbus, & literarum, ad patris lares me revocantum, instantissimæ preces. Accipe ergo, Benevole Lector, has præcipitato studio conscriptas theses, & interea, donec laborem suscepimus, divini numinis adiutus gratiâ ab imperfectione redemero, analytici speciminis fructum, forte non contemnendum, æquâ mente explora. Vale.

THESES I.

*Ratio connexionis. ob  
quam hic  
tit. in D.  
& C. Vin-  
dicationi-  
bus subne-  
ditur.*

**A**ntequam ad tractationem ipsius tituli digrediar, operæ pretium erit, pauca quædam de ratione, quæ juris conditores, ad diversam eidem, tum in Digestis ac Codice, tum etiam Institutis, sedem constituendam, movisse videtur, præmonere: quippe cum animadvertere liceat, alios inconsideratâ facilitate Cuiaciano hortamini, de materiarum serie haud ubivis superstiosè exquirendâ, obtemperantes, cohæsionis declarationem omnino prætermittere, alios v. qualicunque nexus figmento contentos, rem acu nequaquam attingere. Et sanè vix est, ut hisce posterioribus non accenseam Colleg. Argent. Wesemb. Treutl. alios, qui in præfatione ad tit. I. lib. 9. ff. ejusdem cum superioribus connexionem flagitantibus, nil nisi extrinsecam realium actionū cum personilibus istis affinitatem ostendunt: quin enim ratio eorum, qui titulum nostrum in classem eam, ubi privata explicitur delicta, (perinde atque in Institutionibus) conyciendum fuisse existimat, hâc ipsâ validior sit, extra dubitationis aleam, me judice, positum est.

2. Malo itaque, methodum Tribonianam hoc loco defensurus, sententiæ Amplissimi Domini D. Taboris subscribere, qui definit criminal. Racem. 2. θ. 2. sedem hujus materiei ea ratione tuetur, quod scilicet juris conditores, ad ordinem edicti perpetui, à Juliano digesti (vide constitut. de concept. Digest. l. 1. s. 5. C. de VIE.) monstrare voluerint, non tantum, ut rerum nostrarum dominium vindicare, sed etiam, quomodo earum integratatem à damno dato assertere possimus. Confer ejusdem Consultissimi Viri generalem pp. ichnographiam, ut & dichotomicam illarum partitionem tab. 2.

3. Hâc & maxima ratione præmissâ, ipsius thematis explicationem ordior, tractaturus congruâ methodo, tum de ipso damni delicto, tum etiam de actionibus ad illud vindicandum comparatis.

4. Dam-

459.

4. Damnum à demendo sive diminuendo derivari, satis manifestè docemur in l.3. ff. de *damno infect*. Ubi J.C. Paulus ait, damnum ab ademptione sive diminutione patrimonii dictum esse. Quæ verba (exemplo pr. I. de test. ord.) rei non minùs, quām nominis definitionem continere videntur; quippe cum diminutionis ademptionisve vocula, præterquā quod nominis originem monstrat, ipsius generis: adjectum v. patrimonii vocabulum specificæ differentiæ, significatum damni proprium ab improprio secernentis, vicem obtineat.

5. Sumitur autem vox damni à J.C. tis non uno eodemque sensu, sed nonnunquam valdè diversis, nempe aut *Propriè*, aut *Im- mīca*. *propriè* & abusivè. *Hoc modo* quandoque ponitur ad designandam damni estimationem, ut in l.13. §.2. ibi. & ait Celsus, legem domino *damna salva esse voluisse*. & l.33. f. pr. ibi: in lege enim aquiliâ *damnum consequimur*. ff. b.t. vel etiam qualem cunque lœsionem, v. c. voluntatis. l.23. §.2. ibi: *citra damnum voluntatis*. ff. de *fideicom. libert.* *Ilo modo*, si sc. in sensu ponatur proprio, diversos admittit significatorum gradus. Sumitur enim 1. *Latissimè*, pro qualicunq; patrimonii diminutione, adeò ut non minùs damnum legitimum, ceu pœnam ex lege imminentem l.9. §.2. in fin. de minor. l. si profure *damnum decisum sit*. 7. ff. de *condict. furt.* l. 6. §.5. ff. de *furt.* quām illegitima *damna ambitu suo complectatur*.

6. Ex his in supremam hanc classem conjicio. 1. *Lucrum amissum*, per textum in l.2. §. *damnum. ne quid in loc. publ. vid. Gœd. in comm. adl. 81. ff. de V.S.* ubi latissimū hunc damni significatiū probaturus plures textus cumulat. 2. *Impendia* l.7. pr. ff. b.t. & quidē in specie litis impensas, vulgò die *Erichstosten*. Cui tamen posteriori asserto haud obloquitur § 1. vers. hæc a. in fin. *Inst. de pœn. tem. litig. c. ult. inf. ext. de resc. c. dilecti. 17. ext. de for. compet. c. penult. ext. de injur. qui* textus damnum à litis impensâ manifestè distinguunt. Quantumvis enim in confessio sit, hæc inter se quadantenus differre, *damnumque expensarum nomine regulariter* (vid. Berlich. part. I. concl. §4. n.96. & seqq.) non contineri, certū tamen est è diverso, *damni*, velut generaliori nomine, ipsas venire expensas; imò has solas quandoque designare, uti constat ex l.3. §.2. in fin. C de *summ. Trini. l. sancimus. 25. C. de administ. tutor.* vid. Vmm. disp. de process. 22. 0.15. cum ibi allegat. Treutl. 1. disp. 18. 0.1. lit. B.

7. 2. *Late*, quatenus nempe denotat imminutionem pa-

A 2 trimo-

trimonii, non tantum per rei nostræ corruptionem, sed & amotionem, furto vel rapinâ factam; ut notant Dd. per textum in l.27. §. si olivam. 25. ff. h.t. vid. Gothof. in not. ad d.l.3. de damn. infect. Treutl. d. loc. Quo pertinet illud Horatii 1. epist. 16. ad Q. Theticum:

Nam de mille fabæ modiis, cum surripit unum,

Damnum est: non facinus mihi pacto lenius iste.

allegatum ab Ampl. Dn. D. Tabore Rac. 2. θ. 39.

8. 3. Strictè, pro solâ rei deterioratione, ita tamen, ut etiam pauperiem sub se comprehendat. juxta l.1. §. ait prætor. 3. ff. si quadr. paup. feciss. dic. 4. Strictissimè, pro deterioratione culposâ h.e. cum injuriâ facientis conjunctâ: Quæ significatio hujus quidè loci propria, accuratiùs tamen ab æquivatione perpurganda est.

9. Etenim vocabulum damni in titulo nostro nō tantum ipsum damnificationis actum, sed & quandoq; delictum, tanquam privatorum delictorum distinctam speciem designat: quemadmodum hanc differentiam in simili declarat JC. Vlpianus in l.1. ff. si quadr. paup. fec. dic. ubi hæc duo in nostro titulo nudo intellectu distinguenda, verbis à se in vicem secernit; ita, ut damnum à quadrupede datum, pauperiem sive noxam, ipsum v. delictum (*καταχρηστῶς* sic dictum l.238. §.3. ff. de V. S.) noxiam appellat. d. l.1. §.1.3.9. l. pen. & ult. eod.

Synonymia.  
ca.

10. Synonymorum perplura in jure occurunt, quorū alia generaliter, alia v. specialiter eundem cum damni voce significatum habent. Etenim damnum latè sumptum quandoq; nominatur (1.) detrimentum. l.21. §. ult. de negot. gest. l.14. ff. de cond. indeb. l. 40. §. 1. ibi: detrimentū hoc quod beneficio (h.e. maleficio, uti notavit Ampl. Dn. D. Tab. d. Racem. 2. θ. 7.) ejus contigit. & c. de damn. infect. l.206. ff. de reg. jur. c. mutare. c. delictum. eod. in 6. (2.) incommodum. l.10. ff. d.t. (3.) deminutio. d.l.3. de dam. inf. (4.) onus. l.un. §.4. C. de car. duc. toll. c. qui sentit. de reg. jur. in 6. (5.) Periculum. l.1. l.4. & tot. tit. ff. de peric. & com. rei vend. l.4. pr. naut. caup. stabul. (6) Dispendium c. cum contingat. extr. de jurejur. (7.) Jactura. l. planè. vers. sed benignius ff. de petit. hered. c. locupletari. de reg. jur. in 6. Et denique (8.) Injuria, d.l. 2. §. 10. ne quid in loc. publ. l.75. ff. de reg. jur. quod vocabulum restrictiùs damnum denotat, ut patet ex l.37. pr. ff. h.t. ubi Javolenus injuriā dare ait, pro inferre damnum Aquiliā vindicandum.

11. Inter paronyma refero vocabulum damnosum, quod, ut alibi passim, ita cum primis in notissimo illo Gaii textu l.7. ff. testam. quem. aper. locoq; parallelo l.61. §.5. ff. defurt. occurrit.

Parony-  
mica.

12. Hæc ad nomen notasse sufficiat. Rem ipsam varii varie pro diversâ considerandi ratione definiunt. Quemadmodum enim ex supra dictis facili negotio colligitur, damnum duobus præcipue modis intueri possumus; vel absolutè & in se, vel cum adjectâ delicti qualitate. Illo modo cōsiderari solet vel ut factum, vel ut infectum, vel utroq; modo simul. Ut factum definitur à Gœddeo, *Definitiones reales generaliores.* incommodum quod alicujus facto vel injuriâ, aut injuriâ nostrâ sentimus. *in comm. ad l. 71. n. 4.* Ut infectum JC. Gajus definit, *damnum nondum factum, quod futurum veremur. l. 2. ff. de damn. inf.* Utroque modo simul consideratum describi potest detrimentum quod alter per alterum (adde vel semetipsum. *arg. l. quod si possessor. ff. de petit hered. l. quod quis. 203. ff. de R. I. c. damnum. eod. in 6.*) sentit aut sentire potest. Treutl. *L. disp. 18. 8. 1.*

13. Quod si autem damno delicti qualitatem adjungamus, constabit ex antea dictis, id ipsum & hâc ratione duplē ex jure nostro definitionem admittere, generalem nempe & specialem. In genere sic definio, quod scil. sit delictum privatum, quo quis dolo vel injuriâ, alterius patrimonium vel interceptione vel corruptione minuit.

14. In specie damni delictum expositurus, amplector do. *Specialis.* Etinam Viri Spectabilis, Excellentissimi atq; Consultissimi Dn. D. Bicci, Fautoris, & Præceptoris mei devoto mentis studio ætatem colendi, qui *rer. quotid. sect. 4. 8. 15. 1.* illud hoc modo definit: quod sc. sit delictum privatū, quo res aliena, sive animata, sive inanimata per injuriam corrumpitur, aut perimitur, quod ex duobus, quæ suspensunt, L. Aquiliæ capitibus vindicatur.

15. His ita expositis, justo ordine ad divisionem progredior. Tametsi autem notum sit, damnum latè sumptum, secundum varia causarum genera, diversimodas admittere sectiones: nolui tamen singulas huc referre, veritus ne forte necessum sit, Logicorum audire reprehensionem, iis procul dubio imminentem, qui vocabula sub anatomiâ revocaturi, ampliores, quam dividenda habent, ostendendo partes, monstruosam quodammodo operam exhibent.

16. Cum itaq; mihi propositum sit, de damno Aquiliâ lege vindicando, hoc loco differere; relictis generalioribus aliorum divisionibus, tres tantummodò, huic themati congruentes, assumam; Quarum prima damnum dividit in dolo vel culpâ admissum, quæ distinctio præcipue fundatur in *l. 3. C. §. 14. I. h. t.* Altera, in id, quod

*De causa  
efficiente  
damni in-  
juria re-  
mota.*

*Propinquā.*

*Cause im-  
pellentes.*

*Subiectum  
agens seu  
delinquens.*

infertur, aut rei corruptione ac mutatione, aut applicatione ejus, cuius molesta sit separatio, ut inquit JC. in d.l. 27. §. 14. h. Tertia in id, quod corpori infertur, aut corpore, aut non corpore. § ult. Inst. eod.

17. Nunc explicandæ erunt causæ, & quidem primò efficiens, quam constituo duplicem, remotam & Propinquam. Remotam quæro in ipsâ lege; eaq; tum Naturali, tum civili.

18. Naturæ legē quædam in vito reposuisse, & ratio dictat, & JC. docet in l. 42. ff. de V.S. ibi: probra quædam naturâ turpia sunt, quædam civiliter, & quasi more civitatis; utputa, ut furtum, adulterium, naturâ turpe est. &c. quibus haud immerito quoque damnum injuriæ datum annumerari arguento esse possunt l. 14 ff. de cond. indeb. l. 206. ff. de reg. jur.

19. Veruntamen, sicut ad efficientiam contractus, nedum juris gentium introductio, sed & civilis approbatio requiritur: Ita etiam in constitutione civilis delicti, præter naturæ legis reprobationem, legum quoq; civilium determinatione opus est. confer de his optimè differentem Ampliss. Dn. D. Tab. Racem. I. θ. 18.

20. Causam propinquam ipsum hominem, per injuriam alteri damnum inferentem, nomine. per ea quæ traduntur d. Racem. I. θ. 19. Cum enim jam supra dictum sit, damnum injuriæ, perinde ac alia quælibet delicta, duobus modis considerari, tum ut factum, tum ut delictum; facile quivis perspexerit, duplē quoq; efficientem causam esse assignandā, quarum una tribuatur homini, altera legi. Quorsum fortassis haud ineptè refertur illud Pauli dictum in epist. ad Rom. 7. v. 7. Quid ergo dicemus? inquit, Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non novissem, nisi Lex dixisset, Non concupisces.

21. Ad delictum hoc perpetrandum impellunt varia, veluti: Vindictæ cupiditas l. 45. §. 4. l. 52. §. 1. h. Sævitia l. 5. § final. h. Lascivia sive petulantia. l. 9. §. final. l. 11. §. 5. & passim. h. Commiseratio. §. ult. in fin. Inst. eod. Temeritas, ex quâ profiliunt actus vel ob imperitiam, l. 7. §. fin. l. 8. pr. h. §. 7. & seq. l. eod. vel infirmitatem d. l. 7. §. 2. d. l. 8. §. 1. d. §. 8. vers. sed & si. l. eod. damnosæ. Desidia atque incuria, cujus exempla h. t. passim sunt obvia.

22. Pergo ad explicationem materiæ, quæ vel est Subjectiva, vel Objectiva. Subjectivam expositurus, eam considerabo vel ut agentem, vel ut patientem. Subjectum agens satis manifeste ostendit JC. in l. 5. §. 2. quod sc. sit omnis homo injuriæ capax; nullo discri-

discrimine admisso vel sexus *l. 9 ff. b. t.* aut status, *l. servi. 14. de O. & A.*  
*l. 48. h. t.* conditionisve qualiscunque. Hinc à damno in re conju-  
gis dato haud divellit injuriam conjugale fœdus, ut patet ex *l. 27.*  
*§. 30. & l. penult. b.* neque etiam magistratus excipitur, quin, si inju-  
riâ damnum dederit, culpæ reus fiat *l. 29. §. 7. h. text. notab. l. 32 ff. de*  
*iniur.* Sed de his uberioris differendi commodior inferius dabitur oc-  
casio, ubi sc. de reo instituenda erit tractatio.

461.

23. Subjectum patiens distinguo in mediatum, & imme-  
diatum sive objectum propriè dictum. Sanè, licet non negatum  
eam, dari casum ubi hæc duo inter se confunduntur, veluti cum  
liber homo sui juris existens vulneratur *l. 13. pr. ff. b. t.* regulariter  
tamen diversa sunt: quippe cum nunquam objecto, quâ tali, actio,  
velut æstimatoria damni ejusque quod interest, competit; sed sub-  
jecto patienti, ad quod damnum dimanat. Uti hoc docere potest  
exemplum servi vulnerati, daßwar der Knecht den Schaden / der  
Herr aber den Verlust leydet.

Subjectum  
patiens, cui  
damnum  
injuriam da-  
tur.

24. Subjectum itaque patiens est ipse rei læsæ dominus.  
*l. 11. §. 6. l. 43. b.* vel is qui jus in re habet, ita tamen ut ipsius intersit.  
Huc refer, plenioris intellectus ergo, eam tabulæ annexæ partem,  
ubi actoris personam spectavi.

25. Quod objectum attinet, potest illud considerari tūm  
absolutè & in se, tum relatè. Absolutè, respectu scil. habitu ad rei  
læsæ qualitatem, eamque vel naturalem, quatenus nempe res est  
vel animata vel inanimata, hæc vel mobilis vel immobilis. Sive  
civilem, dum res vel divini, vel humani juris læditur. Illæ, juxta  
*pr. & §§. seqq. Inst. de R. D. l. 1. pr. ff. eod.* sunt vel sacræ, sanctæ, reli-  
giosæ. Hæc vel publicæ vel privatæ; quarum illæ rursus sub divi-  
dendæ in publicas in genere (v. Excellentiss. Dn. D. Biccium *rer.*  
*quotid. sect. 2. th. 1. lit. A.*) publicas in specie, & res universitatis, &c.  
Quæ omnia ac singula rerum genera ad quatum hujus delicti ob-  
jectum constituo.

Objectum.

26. Veruntamen hoc cum grano salis accipiendum erit,  
adhibitâ scil. distinctione, inter damnum dolo vel culpâ datum.  
Etenim assertum in rebus quidem quæ privati juris sunt, indistin-  
ctè procedere existimo, non v. in rebus, quæ divini vel publici ju-  
ris sunt. In his enim quando damnum dolo datum fuerit, facinus  
plerumque in aliud nomen delicti transit, vel saltem genus actio-  
nis mutat, diversoque generat effectus.

27. Rela-

27. Relatè, cum respectu scil. dominii res consideratae sunt vel Propriæ, vel alienæ. Et has quidem adæquatam huic delicto materiam objectivam exhibere, vulgatissimum axioma l. in re mandata. C. mand. evincit; ubi Imp. Constantinus ait, quod aliena quidem negotia exacto officio geri debeant, quisque verò rei suæ moderator sit & arbiter.

28. Cæterùm sicut hæc circa res proprias disponendi libertas, per jus alteri eâ in re quæsitum, nonnunquam restringitur: Ita quoq; contingere potest, ut etiam propriæ res damni iniuriæ obiectum fiant, perinde ac furti. l. 10. §. ult. & l. seq. ff. de furt. veluti si debitor in re pignori à se datâ damnum per iniuriam dederit. l. s. dominus. 17. pr. & l. seq. b. l. servum. 27. ff. de pign. & hypoth. aut proprietarius in re, in quâ alius usumfructum habet l. item Mela. II. §. fin. l. seq. ff. b. l. 7. §. 4. l. 18. §. 2. ff. de dolo. l. 17.. §. fin. ff. de usufr. vel possessionem iusto titulo nactus est. d. l. 17. pr. h. Totiens ergò illud contingit, quotiens alterius interest rem manere salvam atque incorruptam.

29. Vbi tamen notanda venit distinctione, quam Ampliss. Dn. D. Tabor in Racem. ad tit. de furt. pâssim inculcat, nempe, inter interesse mediatū & immediatum; quâ non observatâ facile esset distinctionem rerum propriarum & alienarum hâc in parte elusoriâ reddere, saltem obiectu §. final. I. de his qui sui vel al. &c. ubi dicitur, quod Reipublicæ intersit, ne quis re suâ male utatur. Non n. hic spectamus, utrum damnum in re propriâ datum eventualiter & consecutivè alteri noceat, sed an immediatè propter ius in re quæsitum, quod hoc pacto læditur, uti exempla superiùs posita manifestè docent. conf. l. penult. ff. ad exhib.

*Forma.*

30. Iam transeundum erit ad expositionem formæ, quam consistere dicam in peremptione ceu corruptione iniuriosâ. Quæ duo propterea coniunxi, quod in præsenti iuris capite nec iniuriam sine damno, nec damnum sine iniuriâ dedisse sufficiat. Non illud, quia eo casu alia delicti species existit, quâ vñgr̄ Græci appellant pr. Inst. de injur. l. 1. pr. ff. eod. Non hoc, quia facinus in crimen haud incidit, l. 3. in fin. & pâssim. b. t. cessante iniuriâ, h. e. culpâ tum imprudentiæ, tum malitiæ. §. 3. Inst. eod. l. 5. §. 1. in fin. b. quemadmodum schematisimus, ad calcern harum thesiū subnexus, pleniùs docebit, eâ parte, ubi admicula rei, tûm vera, tûm apparentia, ostendî.

*Finis.*

31. Causam finalem huius delicti expositurus, præmitto distinctionem damni dati vel cum, vel sine nocendi proposito. Illa huius delicti species finem habet, hæc destituitur. Etenim quando damnum alteri per iniuriâ ex proposito infertur, actus iste culpabilis originem trahit ex scientiâ vel rectâ, vel erronea, vel dubia. Illo casu, verum existit delictum, his v. casibus quasi delictum. Vtriusq; finalis causa, in genere, est læsio seu damnum. In specie v. iucunda fortè executio vindictæ l. 5. f. pr. l. 5. §. 1. b. petulantia. l. 9. §. final. l. 11. §. 5. eod. &c. Cæterùm quando alterū lædimus citra propositum, (quod non tantum fit in casibus fortuitis, sed & improvisis, exempl. l. 31. b.) causa finalis actus, quâ illiciti, dari nulla potest; quia voluntate delinquendi cessante, finis quoque delicti cessat.

*Affinia.*

32. Affinia huius delicto sunt, furtum. l. 27. §. 25. & seq. b. Iniuria. d. l. 1. pr. ff. de iniur. pr. Inst. eod. Noxia. l. 1. §. 1. supr. si quadrup. paup. fec. dic. &c. da-

Effectus. inum, quod nec corpore nec corpori fuit datum. §. fin. Inst. h.

33. Effectum huius delicti subnexa tabula prolixius explicabit.

15

**NDECTARVM,**


Effectus hu-  
elicti orti  
pectatur in  
medio pro-  
amno per-  
uendo vin-  
indove co-  
etente, qu-  
i ipsa aë-  
gis Aquil-  
clarata tun-

# T A B U L A O P E R O S A

*EXHIBENTS*

ANALYSIN TITVLI INSTITUTIONVM, PANDECTARVM,  
ET CODICIS, DE LEGE AQUILIA.






463.

Iudicis, ut scil. adeatur competens: l.2. ibi: ut id damnum sarcatur, competentis iudicis autoritate consequeris. C. h.	conditio rei lata, puta quod liber homo sit; qui vel est dominio simile, astimandum vel ex lute quod quis habet in re aliena, cuiusmodi habet	Sui juris, & tunc suo nomine utilē (quia membrorum suorum dominus non est) actionem habet. d. l.13. pr. Patria potestati subjectus, & eo casu patri actio competit. l.7. pr. Vtusfructarius & usuarius l.11. His singulis accommodatur utilis actio, non modo quia ipsorum intercessit rem salvam esse (alias enim & commodatario competitor, tamen Julianus negat in d. l.11. §. pen.) sed etiam quod ius habeant actione in rem vindicabile.			
Alterum ad obtinendum, nempe ut sit instructus probatione	Aptā, velut fidem iudici facientem de Valēdā, utpote faciendā vel	Facto ipso. l.23. §. ult. l. seq. Omnibus ac singulis facti qualitatibus, existentibus poenae inferendae causis l.4. ibi: si damnum per injuriam dedisse probetur. C. h. l.3. in fin. ibi: injuria occidit se merito adiicitur, non enim sufficit occidit se. C. l. 27. §. rapisse. l.7. ibi: sed ita demum, si damnum injuria datum est: ceterum si nullo servum pretio viliorem deserviremque fecerit, aquilia cessat. l.4. 9. §. 1. ibi: ut videatur damnum iuraria datum, quod cum damno iuriam attulerit.			
Reo, d. l.23. ibi: ne necesse habeat docere, eum occidisse. l.4. §. 3. Quod tamen fallit in casu, ubi quis se damnum dedisse fassus est; tunc enim ad implementam actoris intentionem sufficit, a quoquādamnum illud fuerit illatum. d. l.13. §. ult. in fin.	Reo, d. l.23. ibi: ne necesse habeat docere, eum occidisse. l.4. §. 3. Quod tamen fallit in casu, ubi quis se damnum dedisse fassus est; tunc enim ad implementam actoris intentionem sufficit, a quoquādamnum illud fuerit illatum. d. l.13. §. ult. in fin.	Confessio rei d. l.23. §. ult. §. seqq. Testibus. l.40. Argumentis; quorū spectare videtur regula probandæ levoris culpæ, à Paulo in l.31. tradita, nempe, cum non est provisum, quod à diligente provideri potuit.			
Conditione suā, quā non obstante (præsupposito tamen, modis supra expositiis, factō quodā per injuriam damno) conveniri potest, puta, sive sit	Impubes (in iuriis tamen capax) l.5. §. 2. Magister. d. l.5. §. 3. Vxor. l.27. §. 30. l.56.	Proprio l.2. pr. l.4. pr. §. pafim. Pecudum v. c. mularum l.52. §. 2. Vers. sed fmula. Amplatio videlicet vnuia, ut in casu. l.27. §. 9.			
Rei con- venien- di, qui specta- tu tum in	Liber homo l.13. §. 1. bona fide cuiquam serviens citra jus imperandi alterius jussui obtemperans l.37. pr. Creditor, cui pignoris jure res est obligata Socius. l.19. §. seqq. Magistratus. l.29. §. 7. Servus liber factus. l.48. Proprietarius l.12.	Ser. l.27. §. 3. quod procedat si. ubi tamen te- nenda & hi singuli te- nentur ex facto vel alieno, nempe aut	Restricō, sc. quod tum de- nominum dominus conveniri d. l.27. §. 9. Et penult. hāc actione queat, si cul- pa ipsius præcesserit, vel 27. §. 1. l.44. §. 1. vel saltem non pro- quia hibuit, cum potuisse. l.45. pr. Liberi hominis, qui ius imperandi habentibus, in damno dando, obsequium præstitit. dict. l.37. princ.		
In so- rum, & de- sumū- tur vel à Verētalia, & actionē excludunt vel	Subiecto, nempe personā aut ipsius Rei damnificantiā, puta quod vel	Omnino non capax sit injuria inferenda, ut	Commodatarii. l.11. §. 9. Debitoris, in casu, ubi, qui stipulatus fuerat, post moram promissoris damnum dedit. l.54. §. 2. Vers. final.		
Excep- tione admis- nicu- lis, qua sunt vel	In iuriis: puta, quod fa- etum damno sum in faciētis potesta- te vel	Casu potius quam cul- pā damni congit d. §. 3. v. g.	si navis vel venterum impulsa, vel fune rupta, cumquā nullo regeretur in aliam im- pingat. l.29. §. 2. Et seqq. si quis observatis omnibus, que oportuit, in stipulam suam vel spinam, comburendā ejus causā, ignem immiserit, & ulterius evagatus & progressus ignis, alienam segetem vel vineam læserit. l.30. §. 3. si quis ramum ex arbore in suum locum (citra dolum tamen) ubi nullum iter esset dejecterit. l.31. in fin.		
Pro parte: Talis est exceptio	In so- rum, & de- sumū- tur vel à Forma de- licti ali- qua ex par- te defici- re, vel ra- tione	Non data opera dum scil. vel	Culpapenes lo- sum est, dum periculū, cum potuisse non evitavit, v. g. si quis	In eum locum venit ubi, rem confuetam & licitam, eamq; periculosa fieri non ignoravit, veluti in campum iaculatorium, ubi solitum est exercitari. l.9. in fin. §. 4. In fin. si quis observatis omnibus, que oportuit, in stipulam suam vel spinam, comburendā ejus causā, ignem immiserit, & ulterius evagatus & progressus ignis, alienam segetem vel vineam læserit. l.30. §. 3. si quis ramum ex arbore in suum locum (citra dolum tamen) ubi nullum iter esset dejecterit. l.31. in fin.	
Excep- tio- num admis- nicu- lis, qua sunt vel	datā operā, permetten- te tamen iure vel	Naturali, utpote in casu defen- sionis vel	In eum locum venit ubi, rem confuetam & licitam, eamq; periculosa fieri non ignoravit, veluti in campum iaculatorium, ubi solitum est exercitari. l.9. in fin. §. 4. In fin.		
Efficien- tem	Propri- guam, quā duo poti- sum ab- solvent, nempe	datā operā, permetten- te tamen iure vel	Sui ipsius, necessa- ria vel	ab solutore, veluti, quia non ulciscendi cut in casu l.52. §. 1. sed defendendi causā, quis insidiante sibi, vel ferro se pertentem necavit. l.4. pr. l.5. pr. l.45. §. 4. Et Inst. §. 2. Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. d. l.4. pr. Et omnes leges, omniaque jura vim vi ex post facto, puta, quod cum ingenuo, auctoritate publicā, animi & vir- tutis causa certamen suscepimus sit. l.7. §. 4.	
In iuriis. Hec vel	In iuriis. Hec vel	Suarum rerum vel	Suarum rerum, veluti dum quis	ab solutore, veluti, quia non ulciscendi cut in casu l.52. §. 1. sed defendendi causā, quis insidiante sibi, vel ferro se pertentem necavit. l.4. pr. l.5. pr. l.45. §. 4. Et Inst. §. 2. Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. d. l.4. pr. Et omnes leges, omniaque jura vim vi ex post facto, puta, quod cum ingenuo, auctoritate publicā, animi & vir- tutis causa certamen suscepimus sit. l.7. §. 4.	
Propri- guam, quā duo poti- sum ab- solvent, nempe	Saltem enten- tur, puta, cum quis prætentit, damnum conti- gisse citra nocen- di propositum, vel ex	Tenuit atque riuum earum- que vel	animi, velut in casibus, ubi damnum imperitū datum est. l.7. §. ult. l.8. l. 27. §. 29. l.30. §. 3. Et Inst. §. 7. Et §. 8. princ.	Hanc virium tenitatem culpe annumerari iniquū non est, quippe cum affectare quis non debet, in quo vel intelligit vel intel- ligere debet, imperitū vel infirmitatem suam alii periculosam futuram. d. l.8. §. 1.	
Damnum. Hoc, licet resartum, non tamen idem minus hinc actioni locum facit. Hinc, etiam sanato vulnerato servo, eam com- petere Paulus ait, in l.4. §. 1.			DFG		





e, quo damnum est admissum, nec ipse, nec aliis, rei læsa extiterit dominus:  
e cum, qui tunc fuerit, cum damnum daretur, &c. l.43. iunct. l.13. §.2.  
a, nisi sit impubes iniuriæ nondum capax, non minus aquiliâ quam furti tene-

iat l. 13. §. 1:

adde & alia superius adducta eo loco, ubi rei conveniendi personam spectavi.  
i sit. l. 27. §. 3. Vers. sed an is.


de alii serviat. d. §. 3. pr.

quod emperium cui ho

...venerem puerum dedit corruu mercutierit auoniam.

<i>Apparentia,</i> que quidem speciem iusti subterfugii præ se ferūt, haud tamē reum hāc a- ctione con- ventum iu- dici vincu- lis eximere valent. Eiusmodi adminicula respiunt causam actio- nis vel	<i>Subjecti- vam nempe</i>	<i>Adorem:</i> cui invalidē reus opponit, quod eo tempore, quo damnum est admisum, nec ipse, nec aliis, rei lāsa extiterit dominus: quoniam L. Aquilia dominum appellat, non utique eum, qui tunc fuerit, cum damnum daretur, &c. l.43. iun.7. l.13. §.2.	
<i>Materia- lem</i>	<i>Reum:</i> quoniam tueri nequit, si conve- niatur ob factum	<i>Propriū,</i> quod bonā fide actori serviat l.13. §.1; dominū rei lāsa sit, quia, nisi sit impubes iniuriae nondum capax, non minus aquiliā quam furti tene- tur. d. l.5. §.2.	
<i>Objectivam,</i> nempe aesti- mationem damni quā, frustra quis subterfugere nītitur vel	<i>In totum,</i> obiectu	<i>Alienum nempe</i> vel bona fide alii serviat. d. §.3. pr.	
<i>Formalem.</i> Cum enim hāc actio penalē sit, inter coniuges locum habere non videtur; Quo tamen non obstante, (eatēnus fortē, quatenus rei persecutio- nem continet) marito adversus uxorem dari dicitur in l.27. §.30. & l.56.	<i>Incerti- tudinis</i>	<i>Animalis</i> , v.c. bovis, quod empturum, cui bovem experiendum dedit, coru percussit; quoniam, si bovis id vitio contigit, venditor uis damnum præstare tenetur. d. l.52. §.3.	
<i>Judicandam</i> , scil. ut de ipso facto pronunciet reum videri damnum dedisse. d. l.28. §.1.	<i>Pro parte,</i> si præten- dat obiectu	<i>Damni</i> , Nisi enim adeō incertum sit damnum, ut ne quidem aestimatio eius fundari queat, (sicut in casu l.19. §.3. Vers. sed ubi) actioni via non obstruitur, sed, ubi certitudo damni ex furo penderet, reus damno fuiss' affectum, ut in textu notab. l.40.	
<i>Objectivam,</i> cuius partes sunt, ut causam cognoscat, (hāc enim actio ex causā est danda. l.28. §.1.) vel ut	<i>Solutionis ab uno ex corris facta.</i>	<i>Rei, cui factum adfertur posse:</i> sicut contingit, quando plures trabe dejectā alienum hominem oppri- munt, d. l.11. §.4. vel plures seruum vulnerando interimunt, ut non appareat, cuius iusti perierit. Licet enim contra rationem disputandi sit, ut singuli teneantur, dum non appetat, ut potius sit convenien- dus: id tamē pro utilitate communi iure civili receptum est, ne maleficia sint impunita, ut inquit Iu- lianu in l.51. §.3.	
<i>Simplex.</i> Hac pro- ut est vel	<i>Fundamentum, ceu normam, que vel est</i>	<i>Generalis</i> , videlicet, quod res sit aestimanda secundum rei corrupta seu perempta præmium, non singulare, vel affectionis, sed communis, uti docemur in l.33. pr.	
<i>Absolu- te, qua- tenus nempe vel est</i>	<i>Corporis: In cuius aestimatione ine- unda attenden- dum tuu ad</i>	<i>Specialia</i> , sive pœnalis, nempe quod res sit aestimanda non modo juxta præsentē ejus valorem, sed & præ- teritum, quanti videlicet res plurimi fuit, vel intra annum, juxta primum, L. caput. l.2. pr. l.21. §.1. l.55.	
<i>Objectivam</i> , actionis id dicimus, quod in ea venit. Ve- nit autem in hanc a- ctionem aesti- matio damni da- ti; l.21. pr. que decla- ratur tum	<i>A quo, si se ex quo qui est i- psū tēpus factæ la- tionis, h. e. vel</i>	<i>&amp; l.1. g.9. pr. vel triginta dies, juxta caput legis ter- tium l.29. §. alt. &amp; l.5.14. §. ex hoc. Omnia enim commoda quæ intra annum vel 30. dies, retro com- putandos, rem pretiosum facerent, in aestimationem res pluri- mi, uti hoc ipsum ICti do- cent exemplum</i>	
<i>Eius quod interessit. l. 21. §.2. &amp; l.5.10. aut ratione</i>	<i>Tempus,</i> quod du- plex, ter- minus scil.	<i>Ex eo enim tempore quis singitur occisus. l.15. §.1. d.1.</i>	
<i>Geminata</i> , in casu scil. infestatione, quæ dupli pœna habet l.2. §.1. d. l.23. §. pen. quod ta- men ita indistincte nō procedit, sed adverten- dum, num inficiatio sit	<i>ad quem:</i> qui vel	<i>Irregularis</i> , videlicet in casu, ubi infans nondum anniculus occisus est, tempus: quo intra annum vixit. d. l.23. §.7.	
<i>Driversorum actuū,</i> ab uno tamen edemque agente prove- nientium. Hoc casu in aestimatione ineunda videndum, num diversa illa facta ten- dant ad finem	<i>Proprio,</i> quorū spectant ea, quæ erogare coacti suimus l.7. pr. l.33. f. pr.	<i>Primo</i> , annus, repetitis scil. ex die mortis vel mortiferæ vulnerationis 365. diebus. d. l.51. §. aestimatio.	
<i>Relati- nempe in con- cursu- tum</i>	<i>Alieno</i> , id est, ipsius damnificans, veluti cum lāsione unius alii corpora simul fuerint dep̄cipiata. l.22. §.1. & Inf. §.10.	<i>Alieno</i> , id est, hereditatis quoq; fit aestimatio; l.23. pr. & Inf. §.10. nisi servus liber & heres esse iustus fit d. l.21. §.1.	
<i>Diuersarum persona- rum circa unum idem que obiectum occu- patarum; Vbi ad defi- niendum aestimatio- nis modum ICti tra- dunt &amp;</i>	<i>Certum</i> , & tunc ejus ratio qui magnas fraudes in mensurationibus commiserat, de quo questionem habere de- bet, scil. l.23. §.4.	<i>quem sub pœna tradendum promisi l.22. pr.</i>	
<i>Forma. Hac constitu- tur collectione pro- prietatum, quæ huic actioni h. t. tribuun- tur; veluti</i>	<i>Lucri, mediante interemptione seu cor- ruptionē, cessant; Vbi tamen viden- dum, num lucrum illud sit</i>	<i>qui heres institutus est. Hic enim hereditatis quoq; fit aestimatio; l.23. pr. &amp; Inf. §.10.</i>	
<i>Concurrunt,</i> tamquam re- media vel	<i>Iupia</i> , quam forte falsa præcessit confes- sio, & dupli estimatio haud dubiè locū nō inveniet, cum ne in simplu quidem actio competat, prout illud ICti explicat in d. l.23. §. ult. l.24. & l.25. pr.	<i>quem manumittere déberem, ut hereditatem, cā conditione impletā, consequi possem. d. l.23. §. 2.</i>	
<i>Non concurrunt, sed demum celante aquiliā competitum. Cuiusmodi est</i>	<i>Injuria</i> , & tunc in duplex actio com- petit, d. l.2. §.1. d. l.23. §. pen.	<i>Omnimodes &amp; nulla ejus ratio habetur. Hinc in actionem non venit, aestimatio piscium, fera- rum, avium, forte ob rupturam retium non captarum, quippe cum incertum fuerit num ca- perentur. l.29. §.3. Vers. sed ubi.</i>	
<i>Accessoria, puta, quia nudæ sunt qualitates, actioni appositæ. Hoc in genere est actio confessoria, cuius fit mentio in d. l.23. §. ult. &amp; l.25. §.1.</i>	<i>Rationibz, siue argumentis,</i> desumptis partim à	<i>Ratione eventus dubij: &amp; utique in aestimationem venire debet; quemadmodum superius do- cui ex l.40.</i>	
<i>Principa- lia, ut</i>	<i>Ampliacione</i> , videlicet, quod solutio unius non relevet alios. d. l.11. §.2.	<i>Exemplis facti; veluti si plures</i> non appa- ret, & tunc ille qui	<i>Exemplis iurium similium. d. l.51. ibi: innumerabilibus rebus probari potest.</i>
<i>In remedii affi- nibus, quatenus scil. ea vel cum hāc actione</i>	<i>Limitatione</i> ; videlicet quod quidem teneantur singuli; sed nō præ- cisè uno eodemq; modo, iisdem gradi bus. Hinc (v.g. homine oc- ciso) ita distinguuntur, aut, cuius iusti quis perierit.	<i>Exemplis facti; veluti si plures</i> non appa- ret, & tunc ille qui	<i>Eodem, si nempe eodem tempore trucidaverint, ut in casibus d. l.11. §.2. §.4.</i>
<i>Ab obiecto &amp;</i> <i>fine, quod sit</i>	<i>Idem observatur in furto.</i>	<i>Confessio</i> & <i>versus</i> quis præsule vulgo dicatur, qui quilibet modo cau- sa mortis præbuit; tamen L. Aquiliā is demum aestima- tionem occisi solvere cogitur, qui manu adhibita vi & quasi manu causam mortis præbuit, tra- tā videlicet interpre- tatione vocis à cædendo & cædere; d. l.51. pr. proinde vul- neravit vel ut	<i>Vt ergo spem re- cordale sentientia vulnus gravita- te preciderit, &amp; uterq; tenebatur de occiso. d. l.51. Vers. igitur aesti- matione perem- ti in utroque fa- ciendā, vel ex termino</i>
<i>actio</i>	<i>Eadem intervenitatio, ne sc. ex uno delicto dominus tota familiare debeat.</i>	<i>Certum effe- ctu vulnere vi- ra aliquem ex- cessum d. l.51. §.1.</i>	<i>Diuerso, si tem- poribus diversis: Vt hoc docet IC. exemplo ser- vi, qui itavulne- ratus, ut eo istu certum esset mo- riturum, medio tempore heres est institutus, &amp; postea ab alio iustus decepit. d. l.51. pr. &amp; l.25. §.1.</i>
<i>depositi. l.42.</i>	<i>notatas ex d. l.11. &amp; d. l.11.</i>	<i>Videndum ita- que si duobus forte vulnera- tibus quis fue- rit trucidatus</i>	<i>Altero rū, pa- ra prior percu- tientis mortiferū quidem vulnus, unde ramen condalecere pos- st, &amp; supervi- re, inflixerit, &amp; tunc solus posterior, qui examina- verit, de occiso, prior v. de vulnere tenebitur. l.15. §.1. &amp; ita intelligi- dus est casus in d. l.11. §.3.</i>
<i>locati. l.7. §. ult. d. l.27. §.9. l.11. 34.</i>	<i>tabulas testamenti pluribus præsentibus legerit. d. l.41. f. pr.</i>		
<i>legis cornelia de siccariis. l.5. f. pr. in casu scil. ubi dolo quis hominem occidit. l.23. §.9. neque præjudicium Corneliae fieri debet, si quis prius aquiliā egerit. Inf. §.1. &amp; l.2. §.1.</i>			
<i>interdictum quod vi aut clam. d. l.27. §.14.</i>			
<i>accessoria, puta, quia nudæ sunt qualitates, actioni appositæ. Hoc in genere est actio confessoria, cuius fit mentio in d. l.23. §. ult. &amp; l.25. §.1.</i>			
<i>actio in factum, quæ datur in damnis lege Aquiliā non comprehensis. l.33. §.1. misericordiā ductus alienum seruum compeditum solverit, ut fugere. d. §. final.</i>			
<i>veluti, quando nec corpore damnum fuit datum, nec corpus lāsum. §. final.</i>			
<i>tabulas testamenti pluribus præsentibus legerit. d. l.41. f. pr.</i>			
<i>edictum adiutum</i>			
<i>actio in quadruplum ex l. 12. tabul.</i>			
<i>cautio in damni infecti. d. l.27. §.10. in fin.</i>			

SOLI DEO GLORIA.







Straßburg, Diss., 1651-52



3

f

sb.

KD 17



**Farbkarte #13**



In nomine SS. Trinitatis!

DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA

*De*

8 456.

1651, 8 12

DAMNO CONTRA  
L. AQVILIAM  
DATO:

*Quam*

NOBILISSIMI ATQUE AMPLIS-  
SIMI IN CELEBERRIMA ARGENTI-  
nensium Universitate

JURECONSULTORUM ORDINIS  
DECRETO,

*Pro summis in utroque Jure honoribus & pri-  
vilegiis Doctoralibus rite legitimeq;  
consequendis,*

Solenniter examinandam proponit

GEORGIUS HENRICUS PANCUG,  
Wimpinensis.

*Ad diem Ianuarii*

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI,  
Et JOSIAE STÄDELII,

Anno M. DC. LI.